PRAESTANTISSIMO DOCTISSIMOQVE

RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

REcte facis, diligentissime STIEBRIZI, quod, post priuatam industriam, sacris literis nauatam, in publicum prodis, quo profectus TVI & TIBI & patriæ innotescant. Id si plures facerent, atque ii præsertim, qui magnificentius, quam par est, de sua eruditione iudicant, conuincerentur fortassis, multas se caussas habere, cur modestius de se humiliusque sentiant. TIBI vero, VIR IVVENIS DOCTISSIME, profectus sacros impigro studio acquisitos, & cum vitæ morumque probitate coniunctos, ex animo gratulor, Deumque precor, vt patria ciuitas, in cuius spem & decus adolescis, vberrimos aliquando ex studiis TVIS fructus percipiat. Ceterum quum ad academiam vicinam, quæ & me aliquam diu sinu suo complexa est, inuisendam & aliquamdiu frequentandam TE nunc accingas, propitium vt TE comitetur Numen, exopto. Age, & fundamento, quod apud nos iecisti, non fœnum stipulamue, igne olim exploratorio consumendam, sed aurum, sed argentum, sed gemmas superstrue pretiosissimas, vtque doctior olim sanctiorque in patriam redeas, omni virium conatu enitere. Vale. Dabam Halæ d. XVII. Aprilis, MDCCXXVII.

(o)

Coll. diss. A. 92; diss. 22

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn349764670/72 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG